

revoanti, nutriendas apud affinem dedisti; matri hostis tui missi de erario tuo sumptus.» Et Augustinus, lib. V *De Civitate*, cap. xxvi: « Inimicorum suorum, ait, filios, quos non ipsius jussus, sed belli abstulerat impetus, Christiana charitate dilexit; nec privavit rebus, sed auxit honoribus.»

Causam dat S. Ambrosius, *serm.* 20: « Quo enim quis fuerit ad injuriam patientior, eo potentior constituitur in regno.» Sapienter S. Ambrosius, lib. II *De serpente Job*, cap. III: « Tacere, inquit, debet, qui recognoscit objectum, ne vulnus exasperet et scindatur cicatrix, tacere, et qui non recognoscit; audit enim alterius, non suum crimen; quod si referat, suum facit; si tacet, retorquet, et conviciantem vulnerat.»

Sapientius Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. viii, docet claudendas esse aures ne injurias audiant: « Si parum, inquit, equanimiter audiam dictum aliquod in me proferum aut nequam, reddam et ipse amaritudinis vicem necesse est; aut erue labor impatientia muta. At qui hujusmodi

dictis aures obstruxerit, ab utroque incommode eripietur; neque loquens maledicet, neque tacens affligitur. Ita David suas aures obstruebat. Ego autem, inquit, sicut surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.»

Fructum hujus patientiæ subjicit Tertullianus: « Omnis, inquit, injuria seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem ictu dispungitur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum et obtusum. Concidit enim ibidem irrita opera et infructuosa, et nunquam repercussum in eum qui emisit reciproco impetu sæviet. Nempe ideo qui te lædit, ut doleas; qui fructus lædentis, in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolens, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.»

Regium ergo, imo divinum est, injurias contemneret, despiceret, indulgere, et beneficiis oruere.

## CAPUT UNDECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Naas rex Ammon vult viris Jabes Galaad eruere oculos dextros. Audit id Saul, cogitque exercitum, quo cedit castra Naas ad interfectionem. Quare, vers. 12, Hebræi applaudunt, eique regnum confirmant in Galgala.*

1. Et factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, et pugnare cepit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, et serviemus tibi. 2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut erua omni-um vestrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in universo Israel. 3. Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel; et si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis, et locuti sunt verba hæc, audiente populo; et levavit omnis populus vocem suam, et flevit. 5. Et ecce Saul veniebat sequens boves de agro, et ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes. 6. Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, et iratus est furor ejus nimis. 7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum dicens: Qui-cumque non exierit, et secutus fuerit Saul et Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, et egressi sunt quasi vir unus. 8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia; virorum autem Juda triginta millia. 9. Et dixerunt nuntii qui venerant: Sic dicetis viris qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, et annuntiaverunt viris Jabes: qui lætati sunt. 10. Et dixerunt: Mane exhibimus ad vos, et facietis nobis omne quod placuerit vobis. 11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes, et ingressus est media castra in vigilia matutina, et percussit Ammon usque dum incalerescit dies; reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquenterentur in eis duo pariter. 12. Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, et interficiemus eos. 13. Et

ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. 14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite et eamus in Galgala, et innovemus ibi regnum. 15. Et perrexit omnis populus in Galgala, et fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, et immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, et cuncti viri Israel nimis.

1. HABETO NOS FŒDERATOS, — *q. d.* Pange vobiscum fœdus, ut vertunt Septuaginta. Chaldaeus vero, *Jecorne nobis pactum, et serviemus tibi*; quasi dicit: Subditi et servi tui erimus, sed fœderati, non bello victi et manu capti, quasi mancipia.

2. IN HOC FERIAM VOBISCUM FŒDUS, UT ERUAM OMNIUM VESTRUM OCULOS DEXTROS, — tum ad ignominiam et opprobrium, ut sequitur; tum ut vos seniores et bello inutiles reddam: « Milites enim oculum sinistram scuto tegunt, dextro vero in pugna rem gerunt.» Ita Abulensis. Audi Josephum, lib. VI *Antiq.* cap. v: « Ille (Naas) Judæis ultra Jordanem habitantibus infestus, cum magno et forti exercitu regionem ingressus, urbes earum subjugare cepit; nec contentus libertatem in præsens abstulisse, ut omnem rebellandi materiam in futurum adimeret, tam ultro deditis, quam vi subactis, dextrum oculum eruebat; ut quotiens scutum sinistro prospectum negat, omnino inutiles bello fierent.»

Tertium causam addit Dionysius, scilicet voluisse Naas hæc excoactione Jabesarum, terrorem sui omnibus Hebræis incutere, ne quis deinceps similibus supplicii metu, sibi rebellare aude-ret.

Tropologice Naas hebraice idem est quod serpens, puta diabolus, « qui dextros oculos suorum eruit, quando abstinentibus a se devictis, sic per gulam prevalet, ut carnalia sola cupiant, et spiritalia, que amare solent, non attendant, » ait S. Gregorius, Beda et Angelomus; spiritalia enim sunt dextra, id est potiora et meliora; ideoque dextro et meliori oculo intuenda: carnalia vero sunt sinistra, id est viliora; ideoque sinistro et viliori oculo obiter aspicienda. Dextro ergo suspicimus oculum et celestia; sinistro despiciamus terram et terrestria.

Audi S. Nilum in *Ascetico*: « Naas Ammonites, qui serpentem significat, Israeli perspicaci omnem oculum dextrum effossum se minuitur, ut nulla dextera cogitatio ad ullam dexteram actionem dirigatur; eos enim qui a contemplatione ad actionem se conferunt, valde proficere non ignorat; nam illi in actionibus suis sine reprehensione egerunt, qui mentis oculis acutissimis, quid agendum sit, ante meditati sunt.»

3. CONCEDE NOS SEPTEM DIES, — ad petendum a cæteris Hebræis consilium et auxilium. Concessit eis hoc Naas superbus non ex pietate, sed ex animositate, ait Dionysius, estimans neminem ausurum eis succurrere, vel sibi in prelium occurrere. Palabat enim tam paucis diebus tantum exercitum, qui suo par foret, cogi non posse.

4. VENERUNT ERGO NUNTII IN GABAA SAULIS. — Gabaa enim erat patria Saulis, ideoque in ea rex factus residebat.

5. ET ECCE SAUL VENIEBAT SEQUENS BOVES DE AGRO. — « Veniebat, ait Hugo, sequens boves de agro; non ut custos bovum, quia hoc esset inconveniens, ut rex esset bubulcus; sed casu accidit, ut cum rediret Saul de agro, boves præcederent eum in via.» Sic et Lyranus et Dionysius.

Verum hic sensus contortus videtur et violentus; sequi enim boves de agro, est aratorum boves ab aratro redeuntium ad stabulum. Fuit ergo Saul arator, ait Abulensis, et licet jam foret rex creatus, ad solitam tamen agriculturam, cum alia regni negotia non occurrerent, rediit. Sic et David, postquam a Samuele unctus esset in regem, rediit ad pasendum suas oves. Unde vers. 7, utrumque hunc bovem suum, quo arabat Saul, concidit in frusta. Erant ergo hi proprii ejus boves, non alieni. Ita Abulensis, Cajetanus, Sanchez, Mendoza et alii. Causam dat S. Gregorius, lib. XIX *Moral.* cap. xvii, quia « perit omne quod agitur, nisi sollicite in humilitate custodiatur.» Et hoc, ait Hugo Cardinalis, est contra Religiosos, qui quando fiunt Episcopi, dimittunt regulam suam. Vide et mirare hic simplicitatem et modestiam primorum regum, Saulis et Davidis, ac agriculturæ dignitatem et præstantiam; utpote quam olim reges et principes exarcerint. Sic Romulus, Remus, Curius, Fabricius, primique romani Senatores et Principes erant aratores et agricola. Audi Propertium, lib. IV:

Curia, prætexio que nunc nitet alta senatu,  
Pellicos habuit, rustica corda, Patres.  
Buccina cogebat priscae ad verba Quiritis.  
Centum illi in prato sæpe Senatus erat.

Plinius, lib. XVIII *Hist.* cap. III: « Ipsorum, inquit, manibus Imperatorum colebantur agri; gaudente terra vomere laureato, et triumphali aratore.» Valerius Maximus, lib. IV, cap. IV: « Illi, inquit, prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut consules fierent, voluptatis causa solum versabant; imo quos pericula Reipublice imperatores accersebant, angustie rei familiaris, bubulcos fieri cogebant.» Causam dat S. Chrysostomus, hom. 15 in II *ad Corinth.* Quod Deus primis parentibus agriculturam ut necessariam, artemque innocentissimam et præstantissimam indixerit, juxta illud *Gen.* cap. II, vers. 15: « Posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum.» Et mox a diluvio cepit « Nos viri agricola exarere terram, et plantavit vineam, » *Gen.* II, 9.

Andi Phloneum, lib. *De Abel et Cain*: « Moyses, ait, præclaram existimans artem pastorum, ipse tractavit hoc negotium. » Et lib. *De Agricultura*: « Tanta, inquit, cure pastoralis honestas creditur et utilitas, ut Poetarum gens reges solet vocare pastores populi. » Et lib. *De Joseph*, agens de cura pastorilia: « Que disciplina, ait, cum civili convenit. Et hoc est, opinor, cur Poete reges vocant pastores populi. Nam qui summus est in arte pecuaria, facile bonus rex evadet, pulcherrimo hominum gregi præpositus, approbata industria in minore negotio. » Denique lib. I *De Vita Moysis*, tom. II, de Moysi: « Præfuit, ait, gregibus, ad principatum se preparans. Nam pastoralis ad regnum est preludeum, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi. » Clemens Alexandrinus, lib. *Strom.*: « Moyses, ait, oves pascit, ut qui ad principatum pastorem prius erudiretur. Et enim qui hominum gregi est præfaturus, est præexercitatio, ovium pascendarum scientia. Ab ea autem dicit Deus, ut esset dux Hebræorum exercitus. » D. Ambrosius eleganter idipsum notat lib. I, *epist.* 4: « Abraham, ait, et Jacob, et postea Moyses et David pastores fuerunt, regalem quandam in hoc munere disciplinam inducentes. » Denique S. Basilii, hom. 26 *De Martyre Mummio*: « Ne contemnas, inquit, virum ubi pastorem audivit. Qui Deo primus placuit, Abel pastor fuit. Moyses magnus ille legislator pœcudes pavit in monte Horeb; et per pasturam ad colloquium Dei pervenit. Jacob patriarcha, pœcudes pascendo, pro veritate patientiam ostendit, et in modica imagine universam vitam suam, quasi quodam charactere obsignavit; David a pœcudum pastura pervenit ad regnum, Sorores quædam sunt pastura et regni administratio. Quapropter Dominus, utraque complexus, et pastor est et rex. »

6. ET IRATUS EST FUROR EJUS NIMIS. — Acuti Saul iam justam in Naas idololatram et tyrannum tam indigna poscentem ab Israelitis; Deo et sibi quasi regi jam subditis, ut illa ipsi esset eos virtutis, cumque stimulare ad justam de eo vindictam, et subditorum defensionem; ad hoc enim opus erat animo heroico et excelso, præsertim in re tam subita, cum nullum haberet militem, et hostis tempore angustum urgerent. Audi S. Basilium, hom. 10 *De ira*: « Nervus, inquit, est anime indignatio, fortitudinem constantiamque præbens ad res bene gerendas; quæ animam voluptate delinitam ac lascivientem, veluti ferro quodam cohibens, austeriorem fortiolemque ex molli ac remissa dedit. » Et paulo post: « Ira, inquit, velut armis utatur. Ideo Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatram damnans, Levitarum manus in eadem fratrum armavit. Quid Phinees justum reddidit? Nonne contra fornicantes ira, qui alloqui mitis ac mansuetus existens, profluvium utrumque trucidavit; Samuel autem regem Amalec nomine justa ira in medium trahens occidit? Sic itaque fit ira sæpenuero bonarum

actionum administra. Elias vere Zelotes turpitudinis sacerdotes justa indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte mulcerentur, effecit. »

Quocirca S. Ambrosius, lib. I *Offic.* cap. XXI: « Irascimini, ait, ubi est culpa, qui irasci debetis; non potest enim fieri ut non rerum indignitate moveamur; alioqui non virtus; sed lenitas et remissio iudicaretur. Irascimini ergo, ita ut a culpa abstinere. »

Tropologice S. Gregorius: « Ecce, ait, Saul ut irasci nimis potuerit, prius in eum spiritus Domini insillit. Quam metuenda sit ergo Sanctorum ira cernimus, si insilientem in eos Domini Spiritum cogitamus, si dum illos foris irascentes aspiciamus, commoventem spiritum intus pariter attendamus; quoties ergo majorum zelo corrigimur, sub eorum indignatione vehementer possumus pavere, si eorum impetum motum Sauli Spiritus credimus. »

7. ET ASSUMENS UTRUMQUE BOVEM, CONCIDIT IN FRUSTA. — Imitatus est Saul exemplum Levite, qui uxorem stupro occisam concidens in frusta, illa per totum Israel emiserat, itaque omnes ad stupri vindictam accendit, *Judic.* XIX, 29. Sic novitas concisionis, novi regis minantis se idem facturum bobus ejus, qui se a bello subduxisset, omnes impulit, ad commune periculum communitibus animis armisque propulsandum. Timebant enim tyrannum Naas, ne subjugatis et excoelatis Galaaditis, victoria insolescens, pergeret trans Jordanem, ibique pari cæteris feritate omnes Hebræos sub jugum mitteret et exocularet. Timebant quoque iras et minas sui regis Saulis. Timebant denique Deum vindicem, ab eo in manus Naas traherentur.

QUICUMQUE NON EXERIT ET SECUTUS FUERIT SAUL ET SAMUEL, SIC FIET BOBUS EJUS. — Hinc patet Samuelem Dei monitu adfuisse Sauli, et interfuisse castris et prælio, ut omnes ad illud animaret, et suis precibus meritisque, eis a Deo viciorum impetraret. Unde et ea parva vers. 12, ait populus ad Samuelem: « Quis est iste qui dixit: Saul non regnabit super nos? » Et vers. 14: « Dixit Samuel ad populum, » etc., toti ergo huic belli tam periculosi negotio interfuit, imo præfuit cum Saul Samuel, quasi iudex vindicæ Israelis. Nota hic: tam diu bonus fuit Saul, quamdiu Samuelem directorem secutus est; quando vero ejus monita jussaque neglexit, factus est malus et reprobus. Hinc Saul præponit se hie Samueli, quasi rex totius Israelis, ideoque dignior; licet Samuel eo esset sanctior.

SIC FIET BOBUS EJUS. — Sed cur idipsum hominibus ipsis non comminatur? Respondet R. Salomon apud Lyranum et Abulensem: « Noluit, ait, comminari penam mortis, vel detractionis membri, ne in principio regni sui, a magno rigore incipere videretur. » Aspilulatur Dionysius: « Conminabatur, ait, Saul pecorum ablationem,

non hominum trucidationem, ut temperate inciperet suam exercere jurisdictionem. »

Novelli ergo principes, si sapiunt, sequantur illud Claudiani: « Mitissima sors est regnorum, sub rege novo. »

8. FUERUNTQUE FILIORUM ISRAEL TRECENTA MILLIA, VIRORUM AUTEM JUDA TRIGINTA MILLIA. — Mondaacter Josephus, ut vires suorum Israelitarum Vespasiano et Romanis ostentet, ait ex Israele fuisse septingenta millia, ex Juda vero septuaginta. Quantum Septuaginta hic numerent sexcenta millia Israelis, et septuaginta ex tribu Juda. Porro Saul recensuit eos in Bescech, qui erat locus juxta Jordanem, cujus rex erat Adoni-Besec, *Judic.* I, 3, quam Josephus *Balam* vocat, Septuaginta *Bama* (1).

Mystice, *Besec* hebraice idem est quod *fulgur* vel *egestas*, quod Beda ad mysterium traducens asserit, « fideles omnes, æternæ patrie cives, in Christo Domino, qui fulguri comparatur, *Luce* cap. XVII, vers. 24, numerandos esse et colligendos. » Et rursus, « qui relictis omnibus sequantur Dominum, describendos esse et recensendos, ut regio eorum potantur, quod pauperes spiritu consequantur, » *Matth.* v, 3.

Porro numeris 300 et 30 millium, idem Beda hoc mysterium assignat: « Ternarius, ait, propter confessionem sanctæ Trinitatis ad fidem; denarius, et centenarius propter dexteram mercedis electionem, et denarium diurnum bonis vintoribus dandum, referuntur ad spem. Porro millenarius ad immobilem stabilemque perfectæ dilectionis respectu ostenditur. » Et statim: « In filiis Israel, qui est videns Deum, intelligit speculationum perfectionem; in viris autem Juda, qui interpretatur confessio, confidentium fortitudinem, » suo utrisque nomine optime accommodato. Nam *contemp.* *Mores* mitiori vocabulo *filii*; *confessores*, *solidiori* nomine *vir* nuncupantur.

9. CRAS ERIT VOBIUS SALUS. — Mirare hic prudentiam et celeritatem Saulis, qui uno die tantas copias confudit, disposuit, magnis itineribus in hostem contendit, pugnavit, vicit, triumphavit, ut cum Julio Casare dicere posset: « Veni, vidi, vici. » Hinc patet minus vere Josephum, et ex eo Magistram *Historia Scholastica* pro *cras*, supponere, *tertio die*. « Credibile est, ait Dionysius, quod Samuel divina revelatione cognovit, quod Saul cum suis triumpharet. »

CUR INCALERIT SOL. — Mystice B. Petrus Damianus, lib. VI, *epist.* 3: « Cum, ait, mens per desiderium primitivæ tabefacta, jam in se reversa, ad Conditoris sui desiderium recalescit; cum torpore negligentie deserit, et frigus insensibilitatis pestifera flamma sancti amoris accendit; tunc velut incalcescente sole, victoria de hostibus sumitur, et obsessa civitas de superbi regis manibus liberatur. Hinc est quod de Abraham scriptum est:

(1) Non est mirum quin Saulis exercitus tam numerosior fuerit, nam pro patrie salute apud veteres quisque curabat ad arma.

Quia apparuit ei Dominus in convalle Mambre in ipso fervore diei, » *Genes.* cap. XVII, 1. « Hinc est quod de Lot dicitur: Sol ortus est super terram, et Lot ingressus est Segor, » *Genes.* cap. XIX, vers. 23. « Recte igitur mundi, sive principis ejus amicitias dedignamur, et cum eis simul societatis fœdus habere contemnimus, ne dum tenebris jungimur, luce privemur. »

10. MANE ERIBIMUS. — Audi S. Gregorium: « Qui, ait, jam de vicino auxilio securi sunt, quamdam spem hostibus tribuunt, quos promittendo illudunt. Voce quidem debilitatem simulant; sed fortitudinem promissi auxilii intus servant. Aliud ergo promittunt, aliud credunt. » Et paulo post: « Dabant, ait, hostibus credere, quod sic se in eorum manibus traderent, ut sapere de eis posset quæcumque voluissent. Sed qui in diem sequentem venturum regem in stum auxilium noverant, exire cum eo non ad hostium manus, sed ad interfectionem cogitabant. »

11. CONSTITUIT (DIVISIT) SAUL POPULUM IN TRES PARTES, — ut tribus ordinibus et locis in hostium castra ex inopinato irruerent; itaque eos percellerent et occuparent, ne quis eorum evaderet. Rursus, ut si una turba defecisset vel succumberet, altera ei succurreret.

Mystice, B. Petrus Damianus, lib. VI *Epistolatum*, *epist.* 3: « Quid est, ait, quod populum in tres constituit partes, nisi quia tres sunt principales anime virtutes: fides scilicet, spes et charitas? in trifariis itaque bellatorum partibus victoria certaminis obtinetur, quia tribus his virtutibus, duce Christo, omnis diabolica tentatio vincitur. »

ET INGRESSUS EST MEDIA CASTRA IN VIGILIA MATUTINA, — ut somno sopitos vel semisonnos invaderet et opprimeret. Simili stratagemate usus Josue cap. x, vers. 9; cecidit Amortheum. Vide ibi dicta.

ET PERCUSSIT AMMON, — puta Ammonitas. Addit Josephus ipsum eorum regem Naas fuisse occisum.

13. ET AIT SAUL: NON OCCIDETUR QUISQUAM IN DIE HAC, — quia hæc dies est gaudii, victoriæ et triumphi, quam non decet cedere luctuque civium funestare, fœdare, maculare, ait Josephus, Abulensis et Dionysius.

14. EAMUS IN GALGALA, ET INNOVENUS REGNUM. — Elegit Samuel Galgala, tum quia hic locus erat vicinus Jordani, juxta quem commissum erat prælium, et victoria parata; tum quia Galgala locus erat celebris ob castra Josue cap. v; tum quia Samuel in Galgala populum iudicare solebat. Ibi ergo fiebat conventus populi et comitia publica; in quibus proinde Samuel voluit innovare regnum Saulis, id est nova populi de tanta ejus victoria gratulatione confirmari. Unde verisimile est Samuelem hie rursus unxisse Saulum in regem, cæterisque regis insignibus eum ornasse. Hinc Josephus, lib. VI, cap. IV, asserit Saulum unctum

in *Maspha* et in *Galgala*. Ter ergo unctus est Saul a Samuele: primo, secreto et privatim cap. x, vers. 1; secundo, publice in *Maspha*; tertio, post victoriam publice pariter in *Galgala*. Ita Abulensis, Sanchez, Sorarius et alii. Sic et David ter fuit unctus in regem: primo, privatim in domo patris, cap. xvi, vers. 13; secundo, publice in Hebron «super tribum Juda,» II Reg. cap. ii, vers. 4; tertio, cap. v, vers. 3. Ibidem «super totum Israel.»

13. ET OBTLERENT IBI VICTIMAS PACIFICAS. — In *Vna*, gratiarum actionem pro pace Israeli per victoriam Saulis parata; et in postulationem, ut illa pax tam Israeli quam Sauli foret firma et constans. In nova enim tante victoria exultatione ac novi regis et triumphatoris Saulis inaugurationem, par erat hinc sacrificia ad publicam gratulationem offerri «in *Galgalis*,» esto ibi non esset arca fœderis, nec tabernaculum, vel altare holocaustorum.

## CAPUT DUODECIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Samuel qui principatus iuste senectute gesti testimonium poscit a plebe. Mox, vers. 7, refricans Dei in populum beneficia ac populi ingratitude, graviter eum contestatur, ut soli Deo serviat; atque Dei vindictam expetiturum; in cuius rei signum, Dei quasi e celo dicta sua confirmantis vocem citat per tonitruum, vers. 18. Igitur hoc capite populus Samuelis innocentiam probat, sapientiam audit, patientiam videt, potentiam admiratur.*

1. Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia que locuti estis ad me, et constitui super vos regem. 2. Et nunc rex graditur ante vos; ego autem senui, et incanui: porro filii mei vobiscum sunt; itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3. Loquimini de me coram Domino, et coram Christo ejus, utrum hominem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, et contempnam illud hodie, restituique vobis. 4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. 5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, et testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. 6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen et Aaron, et eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7. Nunc ergo state, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordis Domini, quas fecit vobiscum, et cum patribus vestris: 8. quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, et clamaverunt patres vestri ad Dominum, et misit Dominus Moysen et Aaron, et eduxit patres vestros de Ægypto, et collocavit eos in loco hoc. 9. Qui oblitus sunt Domini Dei sui, et tradidit eos in manu Sisara magistri militiae Habor, et in manu Philistinorum, et in manu regis Moab, et pugnaverunt adversum eos. 10. Postea autem clamaverunt ad Dominum, et dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, et servivimus Baalim et Astaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, et serviemus tibi. 11. Et misit Dominus Jerobaal, et Badan, et Jephthe, et Samuel, et eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, et habitastis confidenter. 12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis; cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis et petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14. Si timueritis Dominum, et servieritis ei, et audieritis vocem ejus, et non exasperaveritis os Domini: eritis et vos, et rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum; 15. si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, et super patres vestros. 16. Sed et nunc state, et videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. 17. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, et dabit voces et pluvias; et scietis, et videbitis quia grande malum feceritis

vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. 18. Et clamavit Samuel ad Dominum, et dedit Dominus voces et pluvias in illa die. 19. Et timuit omnis populus nimis Dominum, et Samuelem, et dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum. Deum tuum, ut non moriamur; addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem. 20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc; verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro. 21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum; quia juravit Dominus facere vos sibi populum. 23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, et docebo vos viam bonam et rectam. 24. Igitur timete Dominum, et servite ei in veritate, et ex toto corde vestro; vidistis enim magnifica que in vobis gesserit. 25. Quod si perseveraveritis in malitia, et vos et rex vester pariter peribitis.

2. REX GRADITUR ANTE VOS. — Chaldee: *Pro rex ducor in capite vestro*. Hoc enim petierat populus cap. viii, vers. 20. Rursum Samuel hic quasi se abdicat principatu, quasi dicat: Ego officio meo functus sum, regem quem petistis dedi vobis Saulum; ille ergo deinceps erit rex, dux et princeps vester. Unde mox vers. 3, Samuel coram Saul toti populo administrationis sue rationem reddit, uti solent facere ii qui magistratu abeunt, vel eo se abdicant; qua in re tum reverentiam et obedientiam Sauli detulit, tum suam integritatem ostendit; dum Saulis et totius populi iudicio se supponit, si quis aliquid adversus eum haberet, ait Cajetanus.

Ego SENUI ET INCANUI; PORRO FILII MEI VOBISCUM SUNT. — ut me mortuo injuriam vel damnum, si quod alicui vestrum intuli, ex bonis meis præsentem et sarciant; dummodo læsus illud nunc parum edicat, et de eo me convincat. Ita Lyranus. *Secundo*, Dionysius, *q. d.* Ego abeo, sed filii mei pro me, si qua in re opus erit, vobis novoque regi servient. *Tertio*, Mendoza, *q. d.*: «Filii mei vobiscum sunt. Optime illos nostis; et ab illis in meam vitam facile inquiretis an ego illorum malitiam foverim, aut juverim, aut aliquo patrocinio ad injustitiam exercebam inohtarim. Quare cum hæc inquisitio facilis sit, omnes, quæso, ad hoc iudicium concurramus.»

EX SENUI ET INCANUI, patet Samuelam hoc tempore fuisse valde senem: scilicet circiter sexaginta annorum; ita ut natus anno secundo Heli, qui 40 annis præfuit, cum ei morienti successit, fuerit 38 annorum, ac deinde 22 præfuerit Israeli.

Sic enim hisce annis additis conflabuntur anni sexaginta senectutis ejus, quæ in eo citior et gravior fuit, ob labores assiduos, quos in iudicando subiebat. Dices: Quomodo ergo subdit Samuel: «Conversatus coram vobis ab adolescentia mea?» nam qui 38 est annorum non est adolescens, sed vir. Respondeo: Samuel adhuc vivente Heli, cum junior esset, multa loco Heli jam grandævum administrabat; exercebat enim eum Deus per Heli,

ut filionem fieret ejus successor: huc enim eum ipse destinabat.

3. CORAM CHRISTO EJUS, — id est coram Saul, qui est *Christus*, id est *unctus Dei*, eo quod deus eum per me regem creavit, et unxit. Samuel ergo coram Saul et coram Deo suam integritatem enuntiat, ad Saulis et populi exemplum, ut illud imitentur; simul tacite innuens, se Deo illam acceptam referre. Nam, ut ait D. Augustinus, lib. IX *Confess.* cap. xiii: «Quisquis, inquit, tibi, Domine, enumerat vera merita sua; quid tibi enumerat nisi munera tua?» Et epist. 103 ad *Sicutum*: «Cum, inquit, Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.»

UTRUM BOVEM CUIUSQUAM TULERIM. — Sic et S. Paulus: «Argentum, ait, et aurum, aut vestem nullius concepivi; ipsi scitis,» *Actor*, cap. xx, vers. 33. Et iterum: «Capite, ait, nos, neminem lesimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus,» etc., II *Cor.* cap. vii, vers. 22.

Hinc B. Petrus Damianus, lib. I, *epist.* 12, coarguit epi-copos, qui nolunt se suosque actus a civibus examinari: «Quis, ait, est hic arrogantis tumor? quis elationis fastus? que denique tanta superbia? ut liceat episcopum ad propriæ voluntatis arbitrium vivere, et quod insolenter excessum est a subjectis suis, dignetur audire.» Et paulo post, hunc fastum per exempla porborum contraria exaggerans: «Beatus, ait, Job dicit: Si contempsi subire iudicium cum servo meo,» *Job* cap. xxxi, vers. 13. «Et tu dicis: Absit, ut digner ad examen venire cum Clerico meo. Deus omnipotens per Isaiam clamat: Venite et arguio me,» *Isaia* cap. i, versu 18. «Is qui iudicat omnia non indignatur a servis argui; tu servus ulique cum servo in iudicium venire fastidias? Samuel ultro se arguendum nullis accusantibus obtulit; et ultro eos in aliquo violenter oppresserit, inquisivit. Ecce præsto sum, inquit, loquimini de me,» etc.

SI OPPRESSI ALIQUEM. — Samuelis justitiam et modestiam affectatus S. Gregorius Nazianzenus,

oratione 32, se populi iudicio submitit: « Quid, ait, populum hunc per avaritiam circumvenimus? numquid privatis utilitatibus consulimus? numquid Ecclesiam molestia affecimus? Nihil profecto, quantum mihi consocius sum. Parum minimeque adulterium sacerdotium custodivi. » Mox gravi contentione idipsum perurget dicens: « Quid si Principatus, aut sublimium thronorum studio ductus sum, aut Imperatorum atlas calcare appeti, nunquam aliud quidquam splendoris consequi mihi contingat; aut si consecutus fuero, statim illud projiciam atque amittam. »

Porro Samuel hæc de se recenset coram novo rege Saule, ut eum suo exemplo doceat subditos non opprimere, sed sublevare. Ita S. Chrysostomus, hom. 24 in epist. II ad Corinth. , qua in re vide et imitare prudentiam Samuelis.

SI DE MANU CUIUSQUAM MUNUS ACCEPTI, — etiam ultro et sponte oblatum. Magnæ integritatis, magnanimitatis et sanctitatis indicium est, munera refutare. Sic Daniel ad Baltasar, cap. v, 17: « Rex, inquit, munera tua alteri da. » Querit S. Chrysostomus in *Psalm.* xcy: « Et quod erit interpretatio nis sue Danieli premium? » ac respondit: « A Deo merces veniet; quin potius hoc ipsum mihi veritatis premium, interpretari veritatem ac puritatem, quæ infamatur, vindicare. » Sic Abraham respuit munera regis Sodomæ, quem ab hostibus liberavit, *Gen.* cap. xiv, vers. 22; et Eliseus munera Naaman, quem a lepra curavit, *IV Reg.* cap. v, vers. 14, et Moses, *Num.* cap. xvi, vers. 13, et Job, cap. xxxi, vers. 7. S. Hieronimus Orionis, a quo legionem demonum expulerat, ampla dona refutans, cum ille instaret, ut saltem illa accipiens erogaret in pauperes, respondit: « Tu melius potes tua distribuere, qui per urbes ambulans, et nosti pauperes. Ego, qui mea reliqui, cur aliena appello? Multis nomen pauperum occasio avaritiæ est; misericordia vero artem non habet. Melius nemo erogat, quam qui sibi nihil reservat. » Tristi autem et in terra jacenti: « Noli, inquit, contristari, fili; quod facio pro me et pro te facio: si enim hæc accepero, et ego offendam Deum, et ad te legio revertetur. »

Hinc S. Bernardus, lib. IV *De Consid.*, mire laudat Gaufridum Legatum Apostolicum, quod omnia omnino etiam exigua munera spreverit: « Non fuerunt, inquit, qui possent Legato dicere: Dativimus Abraham. Ipse vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes: Loquimini de me, » etc. Addit S. Bernardus exemplum cardinalis Martini, cui cum episcopus quidam equum donasset, ac mox ejus quadam in re suffragium flagitasset ab eo hoc responsi tulit: « Decepisti me, nesciebam tibi imminere negotium. Tolle equum tuum, ecce in stabulo est. »

Tropologie, quisque debet quotidie iudicium hoc sui peragere per rigidum conscientie examen. Audi S. Bernardum ad *Frates de monte Dei*: « Discito tibi preesse, vitam ordinare, mores com-

ponere, teipsum iudicare, et te apud teipsum accusare, sepe etiam condemnare, nec impunitum dimittere. Sedet accusans iustitia, stet rea et temetipsum accusans conscientia; nemo te plus diligit, nemo fidelius iudicabit. Pote a teipso rationem præterite noctis, et venturæ diei, tu, tibi canonem prescribit, et supervententis noctis regimen indicio: sic districto nunquam aliunde lascivire vacabit. »

4. NON ES CALUNNIATUS NOS, etc. NEQUE TELISTI DE MANU ALICUIUS QUIPIAM. — Magnum hoc est et mirabile totius populi de integritate Samuelis testimonium pariter et iudicium. Quocirca S. Gregorius Nyssenus Meletium episcopum Antiochiæ virum integerrimum confert Samueli in *Orat.* habita in ejus funere: « Cum primum, ait, illa Ecclesia Meletium vidit; vidit mansuetudinem atque clementiam qualis in Davide fuit; qualis in Salomone, intelligentiam atque prudentiam; qualis in Moysæ, bonitatem; qualis in Josepho, continentiam pudiciliamque; qualis in Davide, sapientiam; qualis in Samuele, perfectionem. »

Porro Samuel sue integritatis testimonium poscit a populo, ut deinde liberius eum de suis ecclesiis redarguat. Nam, ut ait S. Gregorius, lib. VII *Moral.* cap. xvi. « Mundus esse a vitis debet, qui curat aliena corrigere: quia nequaquam pura maculam in membro considerat oculum, quem pulvis gravat; et superpositas sordes tergere non valet manus, que lutum tenet. David vir sanguinum templum Deo dedicare prohibuit. I *Paralipomenon* cap. xxii, vers. 8. « Quia qui adnascitur carnalibus incumbit, necesse est ut instruat spiritualiter mentes proximorum erubescat. » Et Tertullianus, libro *De Patientia*, cap. 1: « Oportet, ait, constantiam commoendi, propter conversationis autoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant. » Et S. Ambrosius, lib. V in *Lucan.* cap. vi: « Nisi tu, ait, prius interiora tua vacua feceris ob omni labe peccati, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut cum fueris ipse pacificus, pacem alius feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tuum ante mundaveris? »

Quocirca Ferrandus Diaconus Carthaginiensis hoc Samuelis exemplum, belli decibus imitandum proponit. Sic enim scribit, *Regula prima Innocentia militaris*: « Dux, ait, in sua administratione, non præesse diligit, sed processit: imitetur bonis actibus Samuelem; comparet sibi liberam fiduciam verecundiæ et honeste libertatis, ut ingenia fronte dicere valeat subjectis sibi, sicut dixit Samuel: Ecce adsum ego, etc., aut de manu alicuius accepti pro exhortatione vel caleamentum, etc. Et respondeatur etiam ei, quod dixerunt ad Samuel: Nemini nostri novisti, etc. O quam gloriosus dux erit ante faciem principis, qui ista audire meruerit! » etc.

11. ET MISIT DOMINUS JEROBAAL. — Hic est Gedeon *IV Reg.* cap. vi, vers. 32.

Et BADAN. — Hic est Samson, ut veritè Chaldeus.

Sic et S. Hieronymus in *Quæst. Hebr.*, Angelomus, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, Vatablus et passim interpretes. Nam Samson dictus est Badan, quasi *בדן* *bedan*, hoc est in Dan habitans. Fuit enim ipse ex tribu Dan: vel quasi *bendan*, id est filius Dan sive Danita, ait Clarius, Pagninus, Abulensis et alii. Unde nonnulli codices addunt Samson, quod explanationis Badan causa additum in margine, postea irrepsit in textum; unde ex eo illud delevere Romani. Rursum, Badan hebraice idem est quod vestis et fortitudo eorum, ait Pagninus; talis enim Hebraeus fuit Samson. Denique, per anagramma et alphabetarium revolutionem, quam Hebraei vocant *Atbas*, qua ultima litteræ cum primis retrogrado ordine commutantur, v. g. *aleph* prima commutatur cum ultima *tau*, ac *beth* secunda a principio, cum *schin*, que secunda est a fine, ac *dalet* quarta a principio, commutatur cum *mem*, que quarta est a media *iud*. Hac, inquam, litterarum commutatione Badan est Samson; sic enim per idem anagramma, *Sesach* est *Tabel*, *Jerem.* cap. xxv, vers. 26. Vide ibi dicta. Utitur Scriptura hac litterarum revolutione, ut significet fors Samsonis commutationem, qua vir fortissimus post capillum resectionem factus est infirmissimus, ac captus a Philisteis excoelatus est.

12. VIDENTES AUTEM QUOD NAAS, etc., DIXISTIS: REX IMPERABIT NOBIS. — Hinc patet causam, cur Hebraei petierint regem, fuisse metum imminentis Naas, ut superius dixi.

14. SI TIRENTIS DOMINUM, — cum reverendo, amando, colendo, obediendo, et cavendo, ne qua in re legem ejus transgrediendo cum offendantis. Nam, ut ait S. Chrysostomus in *Psalm.* cxxvii: « Nullum est malum quod non exstinguat Dei metus. Quemadmodum ignis, quodcumque ferrum ceperit contortum vel rubiginem confectum, id clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, et quod in eo erat perversum et inflexum, perfectissime corrigit; ita Dei metus vel exiguo tempore facit omnia, et eos qui ab ipso lincti sunt, nulla re humana frangi sinit. »

Elegantior et nervosè Tertullianus, lib. *De Præscriptione*, cap. xiiii: « Ubi, ait, Dei metus, ibi gravitas honesta, et diligentia attonita, et cura sollicita, et adlectio explorata, et communicatio deliberata, et promotio emerita, et subjectio religiosa, et apparatus devota, et processio modesta, et Ecclesia unita, et Dei omnia. »

ERTIS, etc., SEQUENTES DOMINUM, — q. d. Ostendebis reipsa vos ex toto corde sequi Dominum, sicut filii sequuntur per omnia patrem, milites ducent, subditi regem. Atque hinc consequemini magnum decus: « Gloria enim magna est sequi Dominum, » ut ait Ecclesiasticus cap. xxii, vers. 38, ac magnum est pariter emolumentum. Deus enim vos quasi sequaces cultoresque suos proteget, prosperabit et beatit. Unde Septuaginta addunt, « *ut eratis vos.* »

15. SI AUTEM NON AUDIERITIS VOCEM DOMINI: SED EXASPERAVERITIS SERMONES EIUS. — *Primo*, aliqui cum Hugone sic exponunt: « Si præcepta Dei estimaveritis esse aspera et difficilia, vel impossibilia servata. » Nam, ut ait S. Gregorius: « Bona opera in dilectione suavitatis habenda sunt, non in estimatione asperitatis; nam quibus semper dura et aspera videntur, que a Domino præcipiuntur, paulatim decidunt et deficiunt. » Et paulo post: « Si non exasperaveritis, ait, os Domini, quasi dicat: Si ea, que carnalibus aspera sunt, præcepta charitatis, usque ad vite finem cum jucunditate deducitis. » Piger enim et nequam servus est, « qui fingit laborem in præcepto, » *Psalm.* xciii, vers. 20. *Secundo*, idem Hugo: q. d. « Si feceritis Deum asperum loqui propter peccata vestra, » ut scilicet dicat: « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

*Tertio* et genuine, hebraice est, « *ad amarum veritatis vel amarum feceritis os Domini*, hoc est, si irriveraveritis, et ad iram provocaveritis Dominum; qui irri-taveritis, et ad iram provocaveritis Dominum; unde Chaldeus veritè, et *rebelleritis dictis Domini*. Rursum, per os et sermones Domini, possunt accipi leges et præcepta Dei, que ipse ore suo edixit, q. d. « Si offenderitis legem, eamque ad iram provocaveritis. » Est propositio; tribuit enim legi inanitate anima, sensus et ira. Lex enim videtur irasci impiis, dum ab iis violatur et contemnitur, ideoque ipsa quasi irata sui violatoribus minas et penas in se sanctitas intonat. Verum per legem intelligitur Deus legislator, qui prævaricatoribus irascitur, eisque penas in lege statutas infligit. Ille ergo sensus in idem cum priore redit.

ERIT MANUS DOMINI SUPER VOS, ET SUPER PATRES VESTROS. — *Primo*, Chaldeus sic exponit: *Erit plaga Domini in vobis, ut hæc quæ fuit in patribus vestris, cum in deserto Deo rebellaverunt*. Sic et Vatablus: *Affliget, ait, vos ut affligit majores vestros, quando fuerunt inobedientes*. Accedit Lyranus: *Manus, ait, Domini erit super vos de futuro, sicut fuit super patres vestros de præterito*. Et Carthusianus: « Quidam, ait, sic exponunt: Ita erit super vos in posterum, sicut puniuntur, sicut jam ante fuit, et sicut puniti fuerunt patres vestri transgressores. » *2º* enim et, quando copulata similia, idem valet quod sicut, ut patet in *Proverbis*.

*Secundo*, Dionysius, q. d. « Tam vos, ait, quam patres vestri, qui vos ad mala inducitis, seu a vitis non refrenant incurritis debitas penas Dei, vel super patres vestros defunctos condemnatos; quorum damnatio seu tormentum augebitur ex iniquitatibus et condemnationibus vestris, in quantum præbuerunt vobis occasionem et exemplum peccandi, et pena unius damnaei redundat in alium. » Hic sensus, si de vivis accipiatur, planissimus est; si de mortuis, remotior videtur, et altius quam Hebraeorum crassa mens se porrigeret, longiusque petitus.

*Tertio*, « Erit manus Domini super vos et supra

patres, » id est principes vestros; princeps enim est pater patrie, teste Aristotele, lib. VIII *Ethic.* cap. xi; unde Homerus Agamemnonem regem vocat « patrem et pastorem populorum. » Et Romani senatores suos, qui omnia regebant, vocabant *Patres conscriptos*; ac saepe in Scriptura principes vocantur *Patres*. Ita S. Gregorius, Abulensis, Cajetanus. Unde Septuaginta vertunt, *super vos, et super regem vestrum*. Audi Saenecam, lib. I *De Clementia*, cap. xiv: « Hoc, ait, quod parenti, etiam principi faciendum est, quem appellavimus Patrem patriae, ut secret datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima liberis consulens, suaque post illos reponens. Tarde sibi pater membra sua abscindat, et cum absciderit reponere cupiat, et in abscindendo gemat, cunctatus multum diuque. »

17. NUMQUID NON MESSIS TRITICIS EST HODIE? INVOCABO DOMINUM, ET DABIT VOCES (tonitrua) ET PLUVIAS. — Fuit hoc miraculum, ut docet S. Gregorius, Lyranus, Hugo, Abulensis, Vatablus, Dionysius, Cajetanus et ceteri. Nam, ut scribit S. Hieronymus testis oculatus, in *Amos*, cap. iv, vers. 7: « Numquid in fine mensis Julii, sive in mense Julio in his provinciis, maximeque in *Judea*, pluvias vidimus? Denique in Regum libris, pro signo magno atque portentoso, diebus aestatis et messis orante Samuele pluviae concitate sunt. »

Rursus, quia cum serenum esset caelum, Samuel per preces suas subit haec tonitrua et pluvias et caelo elicit, et a Deo miraculose fieri impetravit. Audi Auctorem *De Mirabil. S. Script.* lib. II, cap. ix, apud S. Augustinum, tom. III: « Samuele invocante Dominum, cum populus sibi regem peteret, Dominus per pluvias et horribiles voces intonat, quibus plebs quae audierat se Dominum repulisse ne regnaret sibi, intelligeret. Quos fragores per Samuelem iterum Dominus deprecationem compevit, postquam populi de hac re penititudinem intus aspexit. »

Addit idem Auctor Samuelem penitenti populo mox stilisse pluvias et caelum serenasse; quod novum fuit miraculum. Hinc Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, culpatur *Graecos*, quod hanc Samuelem historiam detorserint ad *Aeacum*, fingentes ipsum suis precibus a Deo impetrasse pluviam, qua segetes siccitate emortuae reviviscerent (1).

Tropologice S. Gregorius: « Dominus, ait, vocem dat (hoc est tonitruum), quia peccatorum corda excitat, ut pravitate suae nequitiam recognoscant. Dat pluvias, quia excitata corda per infusionem supernae gratiae adjuvat, ut non solum deserat mala quisque quae fecit, sed etiam bona fortiter agat, quae appetit. » Et paulo post: « Non est, ait, minus miraculum immutatio cordis, quam perturbatio aeris. Non minus miraculum est, aren-

(1) In Palestina nonquam nisi veris et autumni mensibus pluebat, et in finem mensis Julii frumenti messis erat.

tia corda reviviscere, quam aestivis ardoribus, inusitato more pluvias inundare. Majus quippe miraculum est, intimo sonitu insensibilem mentem concutere, quam collisis per ventum nubibus tonitruum insonare. »

ET VIDERITIS QUAM GRANDE MALUM FECERITIS VOBIS IN CONSPECTU DOMINI, PETENTES SUPER VOS REGEM. — tum quia Deus per tonitru, iratum se fuisse vobis testabitur: ipse enim in peccata et peccatores de-tonat; tum quia, ut ex R. Salomone ait Lyranus: « Deus excitavit ista tonitrua, ut confutaret pervicaciam populi; nam si tanta erant vires Sambre-lis ut posset caelum commovere et tonitrua devocare, quomodo non potuit hostem profligare et Reipublicae praesae? »

18. ET DOMINUS DEDIT VOCES, — tonitrua mixta fulguribus et grandinibus, ait Josephus, lib. VI *Antiq.* cap. vi.

Porro S. Gregorius, hom. 27 in *Evang.*, citans illud *Jerem.* xv, 4: « Si steterit Moses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Quid est, inquit, quod Moyses et Samuel ceteris Patribus in postulatione praefertur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta Testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus a populo lapidibus impetitur, » *Exodi* xvii, 4, et tamen pro lapidatoribus suis Dominum deprecatur. Alter ex principatu eicitur, et tamen petitus ut exoraret, faletur dicens: Absit a me hoc peccatum in Domino, ut essem orare pro vobis. »

20. NOLITE RECEDERE A TERGO DOMINI. — Hebraice, *de post Dominum*; Chaldaice, *de post caelum ejus*, q. d. Ne destiteritis qui Dominum, cumque amare et colere. Moraliter S. Gregorius: « Penitentis, ait, mens tunc bene dirigitur, si divina iudicia metuat, et de Dei omnipotentis misericordia confidat. Timor quidem sine spe in desperationem praecipitat; sed cum spei conjungitur, salutem mentis operatur. Quare summo studio optimus Doctor invigilare debet, ut peccantem terreat, et terrorem ad vitae spem reducat. Quatenus per metum peccare desinat, et per spem impetranda indulgentia, divinae misericordiae portum quaerat. »

Tropologice idem S. Gregorius: « Justi, inquit, stant in conspectu Domini, quia testimonio bonae conscientiae de amore Conditoris praesument. Peccatores autem, cum mala committunt, a facie Domini fugiunt; cum vero redire penitendo deliberant, quasi post tergum Domini sunt, quia ei succedere longius nolunt, et tamen praesumere de Deo quasi amici non possunt. Hinc est quod peccatrix mulier retro stetit, dicitur, *Luce* vii, 38. Retro etiam illa stetit, quae fibrias, ejus teligit, *Matth.* ix, 20. Retro quidem stat pro verecundia peccati; sed tangit per virtutem spei. Quia ergo pro commissis iniquitatibus semper erubescere debemus; et in quibus confundimur, devolare; Samuel peccatoribus imperat, ut a tergo Domini non recedant. »

21. NOLITE DECLINARE POST VANA, — hoc est idola, *Vers. 21*

que falsa sunt numina, ideoque vanissima et mendacissima, quae opem se invocanti praesare non possunt. Porro vanitatem idolorum argute ostendit et irritis Dionysius tyrannus, qui, ut ait S. Ambrosius, lib. II *De Virg.*: « Cum venisset in templum Jovis amicum aureum, quo operiebatur simulacrum ejus, detrahi jussit, et imponi la-neum, dicens aurum hieme frigidum, aestate onerosum esse. Sic deum irritis sumi, ut nec onus ferre posse, nec frigus putaret. Item, cum *Aesculapii* barbam vidisset auream, tolli imperavit, incongruum esse appellans, ut filius barbam haberet, cum Apollo pater ejus adhuc non haberet. Item, simulacris tenentibus aureas pateras ademit, allegans accipere se debere, quod dii darent. Ita lunibrio habili sunt, ut neque Jupiter vestem suam defendere poterit, nec barbam *Aesculapii*, neque omnes qui dicuntur dii retrahere poterint pateras quas tenebant, non tam furti reatum timentes, quam sensum non habentes. »

Tropologice S. Gregorius: « In comparatione, ait, aeternorum honorum vana sunt omnia, etiam bona temporalia. Quidquid enim in hoc seculo letum, delectabile, sublime, aut prosperum certatur, vana profecto est; quia difficile habetur, et cito amittitur. Repente quidem alta saeculi corruunt, pulchra transeunt, leta et pro-pera evanescent. Nam, cum stare in his floribus suis mundus blandinis cernitur, repentina fortuna turbatur, aut festina, et omnia deturbante morte concluditur. Vana ergo sunt gaudia saeculi, quae quasi mamentia blandiuntur, sed amatores suos cito transeundo decipiunt. » Et inferius: « Declinare post, est in eorum appetitum deluere; amorem illorum divino amori praefere. Merito ergo his vana non proderunt; quia ea, eo ordine, quo condita sunt, habere nolere. »

22. ET NON DERELINQUET POPELEM SUUM PROPTER NOBEN SUUM MAGNUM. — *Primo*, « nomen Dei, » est fama Dei, quae magna erat apud omnes gentes: quod sollicit Deus israelicum suum populum a Pharaone aliusque hostibus, per tot prodigia liberasset et propugnasset. Ita Abulensis, Vatablus, Dionysius.

*Secundo*, « nomen Dei, » est ejus omnipotentia, misericordia et fidelitas.

*Tertio*, « nomen Dei, » est ipse Deus nominatus et invocatus; Deus enim est optimus et maximus.

Mystice, « propter nomen suum magnum, » id est propter « Christum, » hic enim est « nomen Patris; » quia loquitur, id est manifestat ipsum mundo, ait Hugo. Hic quoque « Jesus, » id est « Salvator mundi. Nomen magnum, » ergo est « Jesus. » Audi S. Bernardum, serm. 15 in *Cant.*: « Aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infundatur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero libi Jesum: si disputes, non sapit mihi, nisi sonuerit tibi Jesus. Jesus mei in ore, in aure melos, in

corde jubilus. » Et paulo post hujus nominis fructus eximios demonstrans: « Irae, ait, impetum cohibet, superbiae tumorem sedat, sanat livoris vulvulus, restringit luxuriam fluxum, extinguit libidinis flammam, sistit temperat avaritiam, ac totius dedecoris fugat puriginem. »

23. ABSIT A ME HOC PECCATUM IN (id est contra) DOMINUM, UT CESSET ORARE PRO VOBIS. — Prelatus enim et Propheta (qualis erat Samuel) officium et debitum est orare pro populo sibi subdito, praesertim in periculo offensa iraque Dei constituto, qualis erat hic Israel. Addit S. Gregorius: « Si secundum legis preceptum hoc discutitur, peccatum non esset; si pro abjicientibus se, non oraret; nam lex Moysis praecipit, dicens: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Quid est ergo quod dicit? Absit a me peccatum, nisi quia vir sanctus ad charitatis veritatem sublimatus, non solum diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos? Igitur quidem veteris mandato instructus; sed nove gratiae fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis, evangelicam perfectione reprehendit. »

Porro Patres hanc Samuelis vocem, ut charitate in sibi adversos restituentem, misis laudibus extollunt: imo ut benignitatis et charitatis speculum, omnibus imitandum proponunt. Audi S. Gregorium, hom. 15 in *Ezech.*: « Cupimus animum in benignitate dilatare? Samuel in cogitationem deducatur, qui de principatu dejectus, a populo, cum idem populus peteret, ut pro eo Dominus preces effunderet, respondit, dicens: Absit a me hoc peccatum ad Dominum, ut essem orare pro vobis. Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos adversarios pertulerat usque ad ejectionem, benignitatem gratiae non reddidisset in prece. »

S. Chrysostomus, homil. *De cruce et latrone*: « Samuel, ait, qui exorlinatus fuerat, qui contemptus, ait: Mihi absit peccare, intermitto orare pro vobis Dominum, peccatum arbitratur, minus pro inimicis orare. »

B. Antiochus, hom. 72. Samuelem vocat virum admirabilem, quod pro iis, qui cum principatu dejecterant, oraverit. Hinc inferit S. Gregorius, homil. 27 in *Evang.*: « Virtus ergo vere orationis est celsitudo charitatis. Et tunc quique, quod recte petit, adipiscitur, cum ejus animus in oratione nec inimici odio fuscatur. »

24. QUOD SI PERSEVERAVERITIS IN MALITIA, ET VOS, ET REX VESTER PARITER PERIBITIS, — quia rex et populus pollice sunt quasi una persona: quare sicut unum quid sunt in culpa, sic et unum quid sunt in poena.

Porro sagaciter S. Gregorius, lib. VI: « Ita, ait, sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut saepe ex culpa praesidentium, deterior fiat vita subsectorum, et saepe ex merito plebium, delinquant vita Pastorum. »

*Vers. 23*  
Preli-  
cora  
populo  
sibi sub-  
dito?

Sa, mol  
charita-  
tis spe-  
culum.

*Vers. 21*

*Vers. 24*  
Rex et  
populus  
sunt quasi  
una  
persona